

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

2014

Dum audio Paulinum turturem, cupio dissolvi et esse cum Christo, et audio tanquam columbam Bellarminum cum gemitu ad desideratum Jesum millies suspirantem, et lego et perlego lachrymas, quas  
5 ad nos omnes mittit, incidit mihi, ut antequam ex ~~hac~~ hac vitae statione plenum dierum bonorum contingat summi illius dei jussu vocari, prius ab Ill/mo domino meo huic residentiae Hollandicae nostrae pium petam et requiram legatum; quod eo facio confidentius, quod clare legam non tantum Cardinalem, sed se etiam scribentem  
10 fratrem meum et illius Matris filium, in cuius sinu de lacte coelesti suxit, et vixit, et etiam nunc bibit. Quod autem scribo, intuitu maioris gloriae Dei et boni Ecclesiae facio et peto. Duo sunt.

Primum. Occasione controversiarum inter Gommaristas et Erminianos, Ordines Hollandiae et senatores quarundam urbium coacti  
15 sunt exigere a suis subditis juramentum obedientiae, ne titulo disputationum forent praeda et spoliū nebulonum. Juramentum hic addidi, hic typis editum, a me latine redditum, ab omnibus, primariis etiam catholicis hic postulatum et praestitum, nec a quopiam sacerdote improbatum, ut docerent se praepositis etiam discipulis,  
20 salva Religione, obedire et subiacere didicisse.

Si hoc juramentum licitum, examinare dignetur an inscriptio in Universitatem Leydensē non poterit esse licita? Addo hic articulum qui statutis Universitatis additus et semper legitur, qui indicat nullum intelligi praeiudiciū Religionis. Cum juramento  
25 adscribunt sodalitati militari civium, ut hic patet. In Universitatis inscriptione ordinarie sine juramento adscribunt societati studiosorum, quod cum hactenus non liceat per suam Sanctitatem, coguntur cives qui foris proles suas alere non possunt, domi arti mechanicae et non studiis applicare. Haec inscriptio nihil aliud  
30 continet, quam quod frui quis possit privilegiis Universitatis, hoc est non ire ad excubias, pro maiori parte liberum esse a vec-

/ tugalibus. O quam fecissem Ecclesiae rem utilem si tantum per suam Sanctitatem libere inscriptio catholicis permittatur ! Videre et examinare dignetur.

Alterum est. Variae contra Vicarium Hollandiae difficultates  
5 et conspirationes; nullam cum Vicario vel eius subditis Societas  
iam habet controversiam aut difficultatem. Quod si breve aliquod  
Apostolicum obtineret, et hanc coronae suae in coelo adderet gemmam,  
et hanc residentiae Hollandicae impetraret benedictionem. 1°. Ut  
sua Sanctitas mandet, ut iis in locis ~~pestin~~ in quibus nunc Socie-  
10 tas facultatem habet administrandi sacramenta pastoralia, in iisdem  
locis post mortem alicuius vel post revocationem a Superiore,  
eadem facultas dari debeat succedentibus quae nunc data est praesentibus.  
2°. Ut duo possint esse in eodem loco, licet alter eorum tantum  
habeat facultatem administrandi sacramenta pastoralia. 3°.  
15 Ut absentis vices alius possit semper supplere.

Perpendere, quaeso, dignetur Ill/ma D.V/a quid petatur, et pro  
quibus petatur, et ad cuius gloriam petatur. Quid hic non aequum,  
quid hic non rectum ? Sperarem ut si hac occasione cum Ill/mo  
Cardinali Millino agere dignetur apud Suam Sanctitatem: sperarem  
20 praeclarum Societati nostrae et Ecclesiae huic in Hollandia, ponendum monumentum.  
Sic peto, sic supplico, sic voveo, quod eum qui Ill/mae D.V/rae gemitus  
columbinos et lacrymas Ignatianas aliquando absterget, quoniam absterget omnem lacrymam ab oculis sanctorum.  
Sacras manus exosculans, me sanctis Ill/mae D.V/rae sacrificiis  
15 commendo. 1618. 27. Junii. Lugduno Batavorum.

Ill/mae ac Rev/mae D.V/rae

Servus in Christo

Marcus Van den Tympel